3)

THOMAE VALPERGAE

ELEGIA

IN LUCTU EGREGII ADOLESCENTIS

FERDINANDI BALBI

LECTA AD CLASSEM LITERARUM ET ARTIUM

ACADEMIAE IMPERIALIS

TAURINENSIS

VI KAL. MART.

PROSPERO BALBO

SODALI, ACADEMICÆ CLASSIS LITERARUM ATQUE ARTIUM PRÆSIDI, ETC.

IN LUCTU EGREGII ADOLESCENTIS FILII EJUS FERDINANDI,

QUI ELBINGÆ OBIIT III NON. JAN. ANNI HUJUS MDCCCXIII.

Elegia

PROSPERE, qui patrias crudelis nuntius aures
Perculit? Heu quanti tela doloris habet!

Non matri, quamvis instar pietatis in ipsam,
Et virtute omni pulcher, ut ore, puer,

Non matri, caesum retulit quum fama, ululatus
Causa aderat miserae justior Euryalus.

Gratior haud etenim, Niso ni judice forsan,
Pulcri animi in pulcro corpore fulsit honor,

Quam pudibunda tui FERNANDI erat aucta venustas,
Formaque felici mirifice ingenio,

Quod te non modo patre, sed et doctore colente,
Omni se penitus proluit arte bona.

Admoras pulcre pulcrum tu lumen Honesti,
Infensa et sceleri numina habenda pie.

Idem tu verbis, rebusque elementa serebas
Discendis vera cum ratione via.

Idem tu ad Latias adduxti, idemque camenas
Ad Tuscas, tritum quo tibi scandit iter.

Nec tamen est aliena tuae non addita curae,
Ad pueri laudes optima quaeque ut erat.

Nullum ergo ipse tibi Chiron jactasset alumnum
Doctrina, studiis, moribus, atque modis.

Quumque in celso eadem foret aevi gratia flore,
Qui flos FERNANDO crevit amabilior?

Illum jucundo conspectum forte puella
Ore renidentem, non sibi cauta satis,

Quod sibi nec generis deerat fiducia clari,
Nec roseus, tacite quo sit inepta, decor,

Arsit, et argutis dum laeta arridet ocellis
Non advertenti, nil minus ipsa putat:

Quam bene, quam pulcro devinciremur amore
Hic et ego! Ah! mea ne spes sit inanis, Hymen.

A fratre audivi, ferret quum multa sodalem
Hunce suum lepidis ludere carminibus.

Ah ! ne tu , votis jam noster, adurere blando
    Versu aliam studeas: jam tibi captus amor.

Et quoniam nitidis animare coloribus ora
    Parva , et Apellaeae te juvat artis ebur ,

Jamque est, quae similes referat, tibi picta tabella ,
    Vultibus est similis queis tibi pulcra soror,

Ah ! ne aliam libeat formosam pingere, quae te
    Spectantem spectans improbula illiciat.

Una tuae hoc artis felix ego munere possim
    Membrana in laevi bella nitere magis.

Bella, quid insanis? Dulces male concipis ignes,
    Nil unde elicies ni miseras lacrimas.

Dulcia FERNANDUS non otia, non Hymenaeos ,
    Cogitat at lauros, Mars animose , tuas.

Auspicia invitant. Novus est sed quam procul hostis !
    Quam late et nivibus fultus Hyperboreis !

Longum iter haud tamen est mora longa. Et jam via ad arcem
    Moschorum antiquam multa cruore madet.

O male non tantis devicte, sed effere praetor
    Cladibus , in cives tu furis igne tuos.

Urbs ruit in cineres, quam dives et ampla ! pusillus,
    Rudera si confers, Pergama vicus erant.



Maxima Maeonio sint carmine Troïca bella;
    Maxima nostra haec sunt gentibus atque locis.

Quot pugnas! quantas vidit FERNANDUS! et inter
    Quas caedes trepidum compulit acer equum!

Sed sua regna fremens contemni, hiememque, geluque,
    Rhipaea, heu! Boreas frigora spirat atrox.

Uno stricta rigent nocturno sidere quoque
    Plura et plura magis milia cornipedum.

Fit pedes omnis eques; nulli post agmina currus
    Jam veniunt. Quantis hinc data causa malis!

Nunc nive pigra nova, nunc aspera iniqua pruina,
    Lubrica nunc glacie vix sola vincit iter.

Quos fessus gelidos imbres FERNANDUS, et aeger
    Duravit forti mente, alacrique animo!

Sed tantos poscunt, heu! jam finire labores
    Membra diu nulla fota salutis ope.

Et virtuti adeo eximiae, bona numina, vobis
    Tam paucos placitum praestituisse dies?

Nec tibi, apud superum cui certa est gratia Patrem,
    HENRICHETTA, uteri cura erit ulla tui?

Num, quia diva boni Pelidae est fabula mater,
    Non divis pietas est pia matris amor?



Quin genibus supplex nunc accidis Omnipotentis,
Addisque, id vobis si licet, et lacrimas,

Ut superet natus, coeptis dum par, animisque
Saltem sit famae gloria parta suae.

At quid ego haec stultus? non certe oblita parentis
Henrichetta bonae defuit officio.

Ast humana oculis cernens caelestibus, haud haec
Optavit nato, quae male sanus amet.

O Fernande, aevi miseris defuncte periclis,
Tu nunc divinae templa quietis habes.

Nos miseri sed adhuc te flemus; eruntque levamen
Quot nostrum lacrimae, tot tibi justus honor.

THOMAS VALPERGA CALVSIVS.



AUGUSTÆ TAURINORUM.

Excudebat Felix Galletti imperialis scientiarum et artium academiæ typographus.





